Nobilissime et Amplissime Domine. Jure merito hac epistola mea rubore suffundi deberet meo loco, nisi infortunium (ut vulgo vocant) me excusaret, quod a mensibus aliquot habui. fregi enim tibiam meam ex lapsu aliquo, et hinc mensibus aliquot chyrurgicis(?) decumbere debui. Interea procuratum librum Clarissimi Domini Seldeni, quem Bruxellis in Bibliotheca mea paratum habui, mittere non potui. Ex hoc (inquam) suffundor multum: vereor enim ne indicer ingratus homini et infidelis. Spero tamen quod Amplitudinis vestrae Discretio me excusatum habebit, ubi iam intellexerit quid in causa fuerit quo minus praestiterim hactenus, quod debui. In posterum spero me exhibere diligentiorem, ubi rescivero aliquid esse quod ad gustum Ampl. vestrae esse ~~possit~~, et per me destinari et quaeri ac inveniri posset. Ideo rogo Ampl. vestram, ut libere mihi significare non gravetur quo genere librorum huiusmodi delectetur, si per me haberi tunc possint, conabor in nullo deesse, tum per me, tum per amicos quos habeo. Commendatum vero libellum supplicem cuiusdam egregii et docti viri cognati mei, qui Bruxellis Canonicus est. Instat ille pro salvo conductu seu sauvegardio (ut vocant) quo liceat ei manere Aquisgrani, et nihilominus aliquot mensibus Bruxellis esse, ne perdat fructus Canonicatus sui. Primum salvum conductum suum obtinuit ab Excellentissimo Principe iam ab anno aut amplius, quo coepit residentiam, ibique Aquisgrani fundare coepit Orphanotrophium aliquod, prout Consules Civitatis Aquisgranensis testantur per testimoniales libello supplici annexas. Desiderat in opere hoc pro progredi, ideoque conservare prebendam suam Bruxellensem, et fructus eius, in beneficium huius fundationis domus Orphanorum. Si quid tua commendatione posses, prout certo mihi persuadeo quod posses, obnixe rogo ne desit Amplitudo vestra. Ideoque tamen non indicet me indiscretum seu importunum sollicitatorem, quique velim molestus esse Ampl. vestrae, et arrogare audaciam aliquam ex exigua notitia quam cum Ampl. vestra contraxi. Absit hoc a me hoc aut similis audacia. neque Deo et homini gratum esse exhibebit Amplitudinis vestrae intervenientis(?) ...

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 47-48
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0497

intercedatur, a qua supplex libellus hic porrigetur meo ac cognati
mei, [illegible] extraordinariæ commendationes vestræ.
Spero autem quod sua Excellentia superiorem habere non ita gravate
ferat, maxime cum locus principalis residentiæ Illustris Domini
sit neutralis, et secundarius sit tantum pro tanto tempore anni,
quanto ipse necesse sit ad percipiendos fructus Canonicales.
In multis Capitulis possunt Canonici sese absentare a
Capitulo ad sex menses, in plerisque ad tres vel quatuor menses.
Itaque satis notabili tempore anni manebit adhuc Aquisgrani
vere residens. Rogabo Deum pro incolumitate et salute
vestræ Amplitudinis, et manebo semper

Amplitudinis vestræ

Sylvæducis 6 martij 1632

servulus

f. Joannes Ryderus Ordinis
S. Dominici

Mijn Heer

mijn Heer Huygens Ridder
Heere van Zuylecom, Raedt
ende Secretaris van Syne
Princelycke Excellentie van
Orangien etc

In s Gravenhage.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 47-48
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0497